



.117. 33

„ Oc novitatis studium & hoc cacoëthes nunc
„ quidem temporis ubiq; locorum, in aliis quoq;
„ rerum generibus, omnium ita tenet animos, &
„ maxime tamen juniorum, ut quæ vetera cunq;
„ sunt, ad ea nauseant, ea aversentur, ea sorde-
„ scere potent, ea superciliosè despiciant: Sed quæ nupera, quæ
„ novella, quæ recentia, non sine stupore quodam admirantur,
„ ferant in oculis, gerant in manibus, & tantum non cernui ado-
„ rent, licet nullius precij sint ac momenti, & ne pertuso quidem
„ ære seu cassâ nuce redimenda.

„ Qui utuntur vino vetero, sapientes puto,

„ Et qui libenter veteres spectant fabulas.

„ Nam quæ novæ nunc prodeunt Comœdiæ,

„ Multò sunt nequiores, quam nummi novi,

„ Inquit Plautus ille princeps Comicorum, cuius ore Jupiter ipse

„ locuturus erat, Latinè si loqui vellet. At vero nobis ea putent &

„ fœtent omnia, quæ antiqua, vetusta, sepulta. Aliam nobis pa-

„ triam, alios parentes, alia nomina quaerimus. Novos habemus

„ capillorum cincinnos, novas barbulas, nova genera vestimentorum,

„ novam linguam ex Saturninis lemis, ex Faunorum verbis oscis,

„ ex Aboriginem voculis obsoletis & rancidis concinnatam:

„ ad summam, Deo multis modis, quares, quæ verba copiosiores sumus.

„ Quid enim? Deus jam per annos (a) quinques mille quingen-

„ tos & nonaginta eamdem agit in mundo fabulam, eadem

„ oberrat chorda, eam d. impellit rotam, easd. amphoras & ur-

„ ceos fingit, eadem corpora coelestia, stellas, sidera, viam lacteam

„ & cometas nobis ostentat, eosdem volvit orbis & motus ciet,

„ agitat, conficit, tuerit: Eadem meteororum formæ apparent,

„ eadem metallorum genera & terræ visceribus effodiuntur, ea-

„ dem plantarum & animantium varietas, species, colores, figuræ,

effi-

(a) nempe quando hæc publicè peroravit Heiderus.

Casina
prolog.